

HESSIAE SEV CAT
TORVM NOBILISSIMORVM
AC BELLICISSIMORVM
populorum sedis genuinus nec ungue
ante hac visus typus Geographicus

Ioannes a Deutecum f.

S
E
N
D
I
C
C
O

O
R
I
E
N
S
.

HESSIAE SEV CATTORVM Tab.

Gemunda, Allendorffium, Treffordia, Treburia, melsinga, Dietza, Chamburgum, Butzbachium, Niedda, Planckenfleynium, Battenberga, Frissaria, Darinstadium, Francobergomum, Cromberga, Alsfeldia, Mons Regius, Hana, Gelhusium, Giesn, Segn, Vverla, Suerda, Forflaria, Vvaldechia, Corbachium, quæ ideo sollicitè hîc enumeravi, quòd præsens charta earum non omnium situm comprehendat, utpote quæ ipsius Hessiæ tantùm pars sit. Sub Ringgouia in Vspiorum ora iuxta Rheni ripam adiacent Chaubi, Rheynfelsia, nouum Carzenelebogium, Ressa, quæ ipsa quoque Hessorum principis sunt. Cattorum autem seu Hessorum regionem partim perluunt, partim alluunt fluuij: Rhenus quidem latus inter Meridiem & Occidentem. Vbi ad S. Goarem vrbs, quo loco Rhenana quoque syrtis est, & catarrhactæ, quas *Zobirbel* & *Szechter* accolæ & nautæ vocant. Hæ periculosam efficiunt nauigationem. Visurgis, id est, Vvesera, cuius fons Vverra, è Toringico nemore profluit. Luppia, qui in Vvestphaliam transit, & Adrana, eum Adernam vocant historiæ, hodie Aederam dici puto, seu Ruram. Ignobiliora sunt Fulda, Lanus, seu Lona, Homa, Schalmus, Nida, Ana, Trusila, à Druso Germanico reseruans vocabulum, qui propè periit. Montibus, uti paulò ante monuimus, regio vndique asperatur, eorum verò nominatissimi sunt, Melibocus & Abnobij montes. Reliqui varijs vocantur nominibus, uti apud Martpurgum, Kesselpurgus, & Geyne montes &c. Syluæ sunt plurimæ, omnes Hercyniæ portiones. Vnde Tacitus inquit: Cattos suos saltus hercynius prosequitur, simul atque deponit. Verùm hæc quoque plerisque locis nomina sua cõmutat, alibi enim *der Sulling* *Wald* dicitur, alibi, *Szechtelleg Wald*, item *Spitz Wald*. Minerarum Melibocus & Harto qua Hessos attingit, feraces sunt, æris enim & nigri plumbi metallis

abundant. In Vvaldeckensi etiam comitatu Hessicæ regionis plumbum effoditur. Salis quidem non minæras, sed fontes habet Allendorphij, uti paulò ante monuimus. Thermæ sunt in Ringgouia regiuncula, haud ita procul ab eo loco vbi Mæuus flu. in Rhenum exit, *Wissbaden* vocatur locus. Conferunt hæc neruis ac venis humiditate repletis, & spasmo, cæterisque ægritudinibus, ex causâ frigida & humida venientibus, & ex repletionem. Vnde membra ob imbibitionem materiæ humidæ contracta, ac indurata remolliunt & extendunt. Conferunt & serpigini, albaras scabiei, & maculas sordesque corporis superficiales emundant. Conferunt iuncturis & eas confortant, prohibendo fluxum humidum. Hessiæ limes occiduus est Rhenus, ad Orientem Toringiæ, ac Saxonæ contigua est. In Septentrione Brunsvicensi ducatu, ac Vvestphaliæ contermina est. Meridionale latus Franconia excipit. Incipit ab Occidente sub grad. longit. 29. min. 30. qui est Meridianus vrbs S. Goarij. desinitque in Oriente sub gradibus longit. 32. minut. 50. quæ est longitudo oppidi Smalkalden. In meridie initium sumit sub latitudine graduum 50. minut. 10. vbi est prædicta ciuitas S. Goarij, desinitque in Septentrione sub latitudine grad. 51. minut. 45. vbi est Mindena Vvestphaliæ vrbs. Subiacet itaque à medio octauo climatis, quod est per mediam moëtum, vsque ad principium noni, quod est per Agrippinam Coloniam. Parallellus ergo eius Australis est decimus octauus, vbi dies artificialis prolixior horarum est 16. Boreus autem est 19. vbi dies prolixior horarum 16. longa idcirco est ab Occidente in Orientem milliaribus Germanicis 33. seu Italicis 134. lata autem ex Austro in Boream milliaribus Germanicis 23. seu Italicis 95.

TRACTVS RHENI.


TABVLA I.

NE aliorum labores nos mutare corrumpereq; videamur, placuit hoc loco Authoris huius chartæ scripta, quæ de eadem ipse conscripsit optimè, inferere: verùm ne ordo nostri operis inturbetur, credidi non in peiorè partè vel ab ipso auctore, vel à quoquã alio hoc sumptũ iri, si eadè ad nostrũ modulum, methodumq; redegissem. Quare cum de Rhetis & Heluetijs aliam exhibeamus tabulam præter hanc, placuit ea quæ ipse hoc loco de iisdè prodit, in eum locum reseruare. Hic verò ea quæ de Rheno ac reliquorũ fluminum ortu, ductu fluxuq; annotauit inferere, ac reliqua suis quæque locis addere. De Rheno itaque tractu hæc sunt Authoris verba. Inter omnia Germaniæ flumina primas tenent Rhenus & Danubius, cum propter vicinas gentes, quibus ferè perpetua erant cum Germanis bella, tum propter limites, quod Germaniam magnam, sic enim Cl. Ptolomæus nominat, hic ripa sinistra alluës, ille verò dextra, ab Occidente & Meridie claudebant, de quorum vtroque est dictum quoddam Germanicum, in quo Danubius mulieri, Rhenus verò marito confertur. *Sic Sonardus istæ chartæ præfixis verbis: ab eis dem Rheyn mag. vol. mit. h. r. man. s. e. g. g. Danubius qui & Ister de cacumine montis Abnobi seu Martianæ syluæ ortus (of der baer) Suauiam omnè in duas separat partes, Superiorem & Inferiorem, & allabentibus riuus auctior, Vimam præclaram Sueuorum urbem petit: ibi Mera amne recepto nauigabilis efficitur, eòvsque in hoc tractu descriptus est: deinde per Baioariam, Austriam, Hungariam, VValachiam fluens, sexaginta fluminibus auctus, septem ostijs Ponticum mare aliàs Euxinum ingreditur. Vide de hoc chartã Danubicam. Rhenus amœnissimus Germaniæ fluuius, ex Lopontijs, qui Alpes incolunt (teste Iul. Cæsare lib. 4. Comment. belli Gallici) decidens, habet enim duos diuersos fontes, & vtriusque riui appellantur Rhenus, in vnum conuenientes supra Curiam, propè à capite duos afficit lacus, Acronium, hoc est, Còstantiensis seu Podamicum (dey poden Zol) Venetum alterum, hodie Cellensem, à Cella oppidulo dictum. Hic lacus Insulam habet Augia maior, Germanicè *Reichenau* dictam, quæ cœnobio Benedictinorum antiquissimo ornatur. In hac Tiberius Cæsar aliquando castra habuit, cum Vindelicis bella gerens. Hac Insula, inquit Strabo lib. 7. veluti arce, ad inuadendos Vindelicos Tiberius còmodissimè vsus in naualibus pugnis. Hanc Insulã beatus Rhenanus & Tschudus eam fuisse autumant, quæ est iuxta Lindaugiam, quæ adhuc Insula appellatur, & non Insula Reichenau. Deinde Rhenus flexuoso littorum anfractu, varijs rupibus saxosisq; incitatus, Cataractas instar Nili habet duas, alteram non procul à Schaffusen, alteram ad Lauffenbergum: vnde ex alto atrox & feruens defluit, hinc Tauracum pagum Heluetiosq; illinc Venetos & Latobrigos linquens. Rauracos, Triboces, nunc Argentoratos, & Vespos, Sepusianos, Nemetes, Vangiones, & Intuergos, Moguntiacos Hunnorum præsidium,*

& Cattmelibocos, Confluentes, Vbios & Tencteros, Siccambrosq; Menapios & Vsiptes, Batauos, Caniuefastesq; amplissimas Germaniæ ciuitates alluens, multis fluminibus in se receptis. demum apud Cliuës in Vvahalim, hoc est, *die Waal*, & Isalam, nunc *die Jsee*, nec non in Leccum. i. & *die Sch*, diuisus, in gentibusq; Insulis effectis, tribus ostijs maximis in Oceanum Germanicum effunditur. Porro Rheno fluxus hunc tenet tramitem. Ab origine sua versus Solis ortum currit, idque donec attingit Curiam: hinc còtinuò curuat se instar Lunæ, vt etiam lacus Podamicus, quem intrat, & rursus exitus Rheno, vsque dum attingat oppidum Rheinfelden, plagam Occidentalem respiciat, contineatq; cursum illum, donec Basileæ mœnia alluerit. deinde rursus in Septentrionem reflectitur, donec Argentoratũ attingit, inde Aquilonem versus, dirigit cursum, donec Nemetum, nunc Spiram præterfluës, rursus in Septentrionem, donec Maguntiacum urbẽ, quæ prima impressas tradidit ære notas, alluerit. Inde in Occidentem vsque Bingium oppidum, vbi Naus multis alijs auctus fluminibus in Rhenum exonerat, rursus in Caurum reflectitur, donec amplissimæ urbis Coloniae Agrippinæ mœnia alluerit, illòque tenore cursum suum tenet, donec VVesaliam inferiorem præterfluens, demum ad Occidentem deflectit, vbi & mare ingreditur. Hæc de Rheno ortu fluxuq; Arula, *die Star*, Bernensis flu. à quo tractus vicinus Argonia, nomen accepit, in summis Alpibus oritur, Bernã & Soludurũ præterfluens, multis in se receptis fluminibus Rheno miscetur: dicitur & hic tractus Burgundia minor & Cisiurana. Ellus flu. *die Jsee* apud Sequanos oritur, per Tribocorum regionẽ, hoc est, Elsatiam, dulci vino nobilem, & Argentoratũ fluens Rhenum irrumpit. Nicer, *die Necker*, celebris & nauigabilis amnis, quem vulgus eruditorum hodie Necharum appellat, in sylua Martiana oritur, quã vernaculo sermone Germani *dey Schobantshoaldt* appellant, per ducatũ VVittenbergensem & Palatini ditionem descendens, multis receptis fluminibus, infra Manheim in Rhenum exonerat. Mœnus, *die Mein*, flu. magnus & nauigabilis, ex monte Vichtelberch vocato oritur, per Francorum terram labens, ac multos recipiens amnes, Francofordiam nobilissimum Germaniæ emporium alluit, & ex opposito Maguntia in Rhenum exit. Hunc tractum Mœni fluminis Franci possidebant, à quo oppido nomen datum, perque eam occasionem natum. Naus, *die Na*, Vitifer flu. inter VVolfersvilem oritur, Glana & Algens auctior. Stauronesum, vulgò *Crentsnach* interfluit, & iuxta Brugium oppidũ in Rhenum descendit. Drusus, inquit Tacitus lib. 2. haud leue decus quæsuit inliciens Germanos ad discordias, vtque fracto iam Maroboduo, vsque in exitum insisteretur, qui contra Germanos infeliciter pugnans apud Bingium occisus, Maguntiaq; sepultus est. Mosella, *die Mosel*, Cl. Ptolomæo Obrinca, ex Vogeso monte oritur, Leucorum, Mediomatruorum, Ripuariorum, Treuironumq; regionem

TRACTVS RHE PRIMA TABVLA

Tractus Rhenanus multos olim Romanos labores peperit Cuius initia occupant Helvetii olim Galli, nunc Alemanni, reliqua ad Oceanum & Sequanarum usque fortiss. Gallorum Belgae, vel ipsi, ludo Caesar testis qui Gallia diuidit in Equitanciam Narbonensem, Celticam & Belgicam Belgas a Germanis scabatur Rhenus Belgicam, qui nunc incolunt, partim ab Alemanni Germanis sunt oriundam, & transito Rheno fertilitate eius Tractus illicti Gallos inde populere. Mofella ante limitem statuentis Austrasie et Agrippensium Germanis, ut tradit Am. Marcell. lib. xvi. Belgis, quibus Austrasii, Alamanorum, Franci, Gothorumque bellis in mitema aetate, maxima Nobilitate passim incrementa adeoque originem dedere vale



1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13
Gerardus de Tode Excudit Anno Domini 1569

MIL GER. MAA
Groß duetz. meilen
MILIA COMM
Gemeine meilen
PARVA MILLAR.
Klein meilen.